Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

succinctaque perstrinximus, plenius tamen in presenti opere singulorum
narrationem aperire temptabimus.
INcipiet quoque mihi sermo ab ipso domino sicut promisimus Christo. Verum quia
Christianorum res gestas scribere proponimus, consequens videtur ut prius
vel genus hoc hominum unde ducat exordium vel quid nominis
ipsius contineat ratio, ex quo vel gens ista vel populus appellatione
censetur repetentes paulo altius exponamus. Igitur quoniam Christo
duplicem extitisse constat, et divina in eo pariter atque humana naturae
plenitudinem tenet, caput in eo divina substantia, pedes hu-
mana quam pro nostra salute suscepit habeantur, et ita demum perfecta
nobis narratio dirigetur, si a capite id est a divinitate eius verbo
sumamus exordium, per quod Christianorum quae gens novelle appellatio-
nis creditur antiquitas et nobilitas pariter ostenditur. Genus quidem eius
et ipsam substantiae eius naturam proferre ac pandere nullus
sermo sufficit. Siquidem etiam divinum de eo ita pronuntiavit
oraculum dicens. Generationem autem eius quis enarrabit. Sed et alibi
celestibus nichilominus de eo vocibus ita refertur: Quia nemo novit
filium nisi pater, sed neque patrem quis novit nisi filius. Solus ergo ille qui ge-
nuit nosse dicitur filium pater, et sine dubio exclusit ceteros ad dis-
cutienda noticia, quae ad unum solum patrem filii scientiam revo-
cavit. Hic ergo in libris voluminibus que divino spiritu conscripta cre-
duntur lux eterna et ante mundi initium semper fuisse predica-
tur, sapientia quoque substantialis et verbum vivum. In principio
apud patrem et deus verbum substitisse narratur. Quis ergo poterit
eum qui ante omnem creaturam visibilem atque invisibilem